

WS 2024/25 Lat. Lektüre: Plautus, *Epidicus* TEXT 13 / 21.01.25 (Karanasiou)
<https://www.thelatinlibrary.com/plautus/epidicus.shtml>

V.ii

PERIPHANES Satine illic homo ludibrio nos vetulos decrepitos duos
 habet? **APOECIDES** Immo edepol tu quidem miserum med habes miseris modis.

PER. Tace sis, modo sine me hominem apisci. **AP.** Dico ego tibi iam, ut scias:
 alium tibi te comitem meliust quaerere; ita, dum te sequor,
 lassitudine invaserunt misero in genua
 flemina. 670

PER. Quot illic homo hodie me exemplis ludificatust atque te,
 ut illic autem exenteravit mihi opes argentarias!

AP. Apage illum a me, nam ille quidem Volcani iratist filius:
 quaqua tangit, omne amburit, si astes, aestu calefacit.

EPIDICVS Duodecim deis plus quam in caelo deorumst
 immortalium 675

mihi nunc auxilio adiutores sunt et mecum militant.

quidquid ego malefeci, auxilia mi et suppetiae sunt domi,
 apolactizo inimicos omnis. **PER.** Vbi illum quaeram gentium?

AP. Dum sine me quaeras, quaeras mea causa vel medio in mari.

EP. Quid me quaeris? quid laboras? quid hunc sollicitas? ecce
 me. 680

num te fugi, num ab domo apsum, num oculis concessi tuis? >*** nec tibi
 supplico. vincere vis? em, ostendo manus;

tu habes lora, ego te emere vidi: quid nunc cessas? colliga.

PER. Illicet, vadimonium ultro mi hic facit. **EP.** Quin
 colligas? 685

AP. Edepol mancipium scelestum. **EP.** Te profecto, Apoecides,
 nil moror mihi deprecari. **AP.** Facile exoras, Epidice.

EP. Ecquid agis? **PER.** Tuon arbitrato? **EP.** Meo hercle vero atque hau tuo

colligandae haec sunt tibi hodie. **PER.** At non lubet, non colligo.

AP. Tragulam in te inicere adornat, nescio quam fabricam facit. 690

EP. Tibi moram facis, cum ego solutus asto. age, inquam, colliga.

PER. At mihi magis lubet solutum te rogitare. **EP.** At nil scies.

PER. Quid ago? **AP.** Quid agas? mos geratur. **EP.** Frugi es tu homo, Apoecides.

PER. Cedo manus igitur. **EP.** Morantur nihil. atque arte colliga.

PER. Nihil moror. **EP.** Obnoxiose. **PER.** Facto opere

arbitramino. 695

EP. Bene hoc habet. age nunciam ex me exquire, rogita quod lubet.

PER. Qua fiducia ausu's primum, quae emptast nudiustertius,
filiam meam dicere esse? **EP.** Libuit: ea fiducia.